

**PATRIMONIUM HISTORICUM
ARTISTICUM ECCLESIAE.
A CONVENTIONE HISPANIAE-SANCTAE SEDIS
AD
XVII CONVENTIONES ECCLESIARUM
PARTICULARIUM-COMMUNITATUM
IN HISPANIA AUTONOMARUM¹**

SUMMARIUM: Post rationes studii, proponitur conventio Ecclesiae-Hispaniae de Patrimonio historico-artistico, unde patet convenientia conventionum inter auctoritates ecclesiasticas et Regiones Autonomas in Hispania. Omnes conventiones enumerantur atque proponitur valor conventionum cum regionibus autonomis, earum materia seu mixtae commissiones de quibus exponuntur collaboratio mutua, iura et officia reciproca, competentiae, functiones ac tandem criteria generalia actionis. Examinata natura harum conventionum, aestimatio conclusiva proponitur.

Ipsa enuntiatio thematis suscitatur admirationem et consequentem quaestionem: quare ita? Quin percurramus et subiciamus analysi omnes rationes, interest nostra aliquas indicare ad modum prooemii ut exponamus praesertim earundem naturam, finalitatem et contentum.

Imprimis adest ratio iuridica: est exigentia saltem remota tum conventionis Hispaniae-Sanctae Sedis tum ipsius Constitutionis hispanae — ut enucleabimus in paragrapho 1 huius scripti.

¹ Pro conceptibus, vide *Patrimonio Cultural* en CORRAL, C. y URTEAGA, J.M., *Diccionario de Derecho Canónico*, Madrid, Tecnos 1989.

Additur ratio organico-statalis: Status Hispanus constructus est iuxta Constitutionem 29.XII.1978 ut Status decentralizatus in Communitates Autonomas, quae sunt XVII.

Quae ratio complenda est cum ratione politico-gubernativa: defectus voluntatis gubernii centralis ad ineundam conventionem generalem ambitus nationalis, impulsit Conferentiam Episcopalem ad ineundas conventiones particulares cum Auctoritatibus Communitatum Autonomarum.

Quod quidem exponemus in paragrapho 2 huius scripti.

Ratio vero profunda consistit in eo quod complexus bonorum constituentium Patrimonium Culturale Ecclesiae in Hispania est adeo magnus et momentosus ut necessarium evadat — velis, nolis — quaerere cooperationem quam maximam omnium omnino virium socialium ut illud saltem servetur, immo foveatur. Sufficiant aliqui numeri plus minusve exacti:

Templa et Domus Rectorales, Parochiales, Episcopales et Religiosae sunt circiter 70.000 simul cum sculpturis, tabellis, aulaeis, instrumentis sacris; musea circiter 200; archiva (sola parochialia plus quam 20.000); bibliothecae seminariorum ascendunt ad circiter 130.

I. CONVENTIONES ECCLESiarUM PARTICULARIUM COMMUNITATUM AUTONOMARUM UT EXIGENTIA ET INSTRUMENTUM NORMATIVA.

Hodie tum Ecclesia tum Status mutuo vinciuntur ad protegendum, servandum et fovendum Patrimonium Historicum Artisticum [PHA], quod pendet ab utroque, atque id exprimunt in suis legislationibus.

Status Hispanus agnoscit expresse suam obliga-

tionem in recenter edita Lege 13/1985, 25 VI, de PHA hispano, tum in Praeambulo tum praesertim in Dispositione Additionali 7^a. In qua edicatur:

«salvo praescripto in hac lege, Administrationes, quibus competat applicare legem, subiciuntur conventionibus internationalibus valide conclusis ab Hispania. Activitas Administrationum dirigetur ad exsequendas resolutiones et recommendationes quae adoperentur ad protegendum PHA ab organis internationalibus quorum Hispania sit membrum».

Sancta Sedes, pro parte sua, sese declarat devinctam suis conventionibus initis cum nationibus aliisque societatibus politicis (can. 3). Hae conventiones in concreto sunt duo, quamvis diverso modo.

Occasionaliter, Pactum de quaestionibus iuridicis, ut 3.I.79, respectu inviolabilitatis locorum cultus et archivorum atque casus expropriationis (art. I,5.6). Modo generali, Pactum de Educatione et rebus Culturalibus, 3.I.79, quae revera hic nunc unice nostra interest.

In hoc Pacto assumitur tamquam praesuppositum quod PHA considerandum est sub aspectu culturali potius quem sub aspectu patrimoniali. PHA videtur esse quasi tertia quaedam schola. Prima, schola oralis-traditionalis; secunda, schola scripta et radiolevisiva. Simul autem enuntiantur duo principia generalia: PHA Ecclesiae esse partem momentosissimam patrimonii culturalis nationis atque eiusdem fruitio, tutamen et promotio requirere collaborationem inter Ecclesiam et Statum. Ita eruitur ex Praeambulo.

Inde, ut consequentia, praescribitur in unico articulo consecrato ad quaestionem de PHA, XV:

«Ecclesia reaffirmat suam voluntatem continuo offerendi suum PHA et documentale in servitium societatis atque

concludet cum Statu bases ad reddenda effectiva commune interesse et collaborationem utriusque partis fine servandi, manifestandi et catalogandi patrimonium culturale in possessione Ecclesiae, reddendi facilem eiusdem visionem studiumque, melius asservandi et impediendi quodcumque genus amissionis, intra ambitum articuli 46 Constitutionis. Ad quos effectus aliosve respicientes hoc patrimonium, creabitur Commissio Mixta intra terminum maximum unius anni a die initii huius conventionis in vigore in Hispania».

Duae sunt consequentiae: creatio Commissionis Mixtae atque pactum de contrahendo circa PHA. Commissio Mixta (sic dicta) «Ecclesia-Administratio» constituitur anno 1980, quae approbavit: «*Documentum respiciens ambitum iuridicum actionis mixtae Ecclesiae-Status super PHA*», 30.X.1980.

Articulus XV, citatus, non est essentialiter aliud quam quoddam «Pactum de contrahendo». Quod autem sicut «pactum de negotiando» intelliguntur in actuali doctrina atque iurisprudentia «*illae clausulae quae creant partibus obligationes iuridicas mutuas ad consequendam subsequentem conventionem internationalem*» [15]. In citato articulo XV clare datur intentio explicita ex parte Ecclesiae, implicita vero ex parte Status, veniendi ad futuram conventionem in qua determinantur bases collaborationis in materiis afficientibus utramque partem. Aliis verbis, Ecclesia consentit operari non unilateraliter super PHA adeo momentoso quod est in sua possessione. Sua vice, Status admittit hanc concertationem ratione eiusdem communis interesse.

Quomodo qualificare situationem stabilitam in art. XV quatenus «pactum de contrahendo»? Tres sunt situationes quibus inservire valet pactum de contrahendo. Prima habet ut finem solvere quaestiones et disceptationes. Tales clausulae solent inveniri

in tractatibus internationalibus, specialiter in multilateralibus. De facto, hodie sunt clausulae communes iuris concordatarii comparati (v.c. in clausulis finalibus quinque conventionum Sanctae Sedis cum Hispania, 3.I.1979).

Secunda situatio est peculiaris pactorum quae initiant conventionem super materiis maxime conflictualibus. Tertia denique est situatio respiciens pacta quae remittunt elaborationem regularum concretarum ad futurum pactum. Talis est situatio dicti articuli XV.

Exinde regulatio reciproca bilateralis quaestionis culturalis et usus instrumenti normativi pactitii est exigentia compromissi assumpti ab Ecclesia et Statu.

II. VIGENTES CONVENTIONES ECCLESIARUM PARTICULARIUM-COMMUNITATUM AUTONOMARUM.

Expressio et concretisatio exigentiae art. XV est conclusio duarum conventionum ambitus statalis atque septemdecim ambitus regionalis.

2.1. *Conventiones ambitus statalis*²

Prima conventio ambitus statalis est sic dictum (supra citatum), documentum respiciens ambitum iuridicum actionis mixtae Ecclesiae-Status super PHA, subscriptum, ex parte Gubernii, a ministro Culturae, D.no. I. CAVERO et, ex parte Ecclesiae, a Emm. V.E. TARANCÓN, Praeside Conferentiae Episcopalis, 30.X.1980. Textus, ex parte Ministerii, di-

² Boletín de la Conferencia Episcopal Española (1987-n. 14) 85-87. Est numerus monographicus consecratus Conventionibus de PHA.

stributus est officialiter suis organis inferioribus, non vero publice editus in ephemeride officiali («Boletín Oficial»); ex parte vero Conferentiae Episcopalis publice editus est officialiter. Quo mediante, exponuntur criteria fundamentalia actuationis (art. 1-3), proponitur inventarium PHA ut primum stadium cooperationis technicae (art. 4), stabilitur alterum pactum de contrahendo pro evolvendis dictis principiis mediantibus futuris conventionibus (art. 5).

Ad adimpledum inventarium praescriptum secundum pactum de contrahendo (nn. 4 et 5 documenti praecedentis), subscribitur secunda conventio cui titulus «*Normae secundum quas exsecutio inventarii omnium bonorum tum mobilium tum immobilium characteris historico-artistici ac documentalis Ecclesiae hispanae*», 30.III.1982. Hic subscriptores sunt ex organis inferioribus, nempe, Praesides Commissionis Episcopalis pro Patrimonio Culturali ac Subsecretarius Ministerii Culturae. Similiter, textus, ex parte Ministerii, officialiter distributus est, non vero editus; ex parte vero Conferentiae Episcopalis, officialiter distributus ac editus est. Hic stabilitur modus procedendi atque interventio Delegati Dioecesani et Directoris Provincialis Ministerii Culturae, salvis tum permanentia bonorum conscriptorum in inventario tum iure proprietatis Ecclesiae respectu commercii.

Quamvis ambae Conventiones sint revera momentosae ratione criteriorum ac materiae, tamen, non potuerunt explere integram vim practicam quia officialiter publici iuris statalis factae non sunt. Immo nec novae conventiones super Archiviis ac Bibliothecis, Bonis Mobilibus ac Museis, atque Bonis immobilibus ac Archeologia potuerunt in praxim deduci.

³ Ibidem, 88-115.

Ratio est mere politica: anno 1982, novis electionibus, socialistae (PSOE) assumpserunt gubernium, in mente habentes nationalizare, quoad possibile, omnia monumenta praecipua historiae hispanae. Ideo evasit impossibile pervenire ad quamdam conventionem fundamentalem ambitus statalis.

2.2. *XVII Conventiones Dioeceseon-Communitatum Autonomarum.*

Ideo Conferentia Episcopalis debuit mutare suam primigeniam mentem: consequi in ambitu Communitatum Autonomarum quod nequivit in ambitu statali, incipiens a Communitatibus non subiectis gubernio socialistae.

Paradigma harum conventionum constituitur duabus praedictis Status-Conferentiae Episcopalis atque exemplar modi deducendi easdem in executionem efformatur a conventionibus regionalibus Catalauniae (1981) et Castellae-Legionis (1984).

Pro Catalaunia quin adhibeatur terminus conventionis, conventa est «*Regulatio activitatis Commissionis coordinationis Generalitatis-Ecclesiae in Catalaunia super Patrimonio Culturali*», subscripta 22.XII.1981 a Praeside Provinciae ecclesiasticae Tarraconensis, Mons. PONT I GOL, et Praeside Generalitatis, D.no PUJOL.

In Castella-Legione inducitur definitive terminus ipse pactum (consensio) quamvis materia eiusdem sit eadem ac in praecedenti «Regulatione». Ideo subscribitur «*Pactum super constitutione, compositione et activitate Commissionis Mixtae Gubernii Castellae-Legionis ac Episcoporum Ecclesiae Catholicae pro Patrimonio Culturali*», 16.I.1984 a Consiliario Educationis ac Culturae et a Delegato Episcoporum.

Perficientes materiam et formalitates subsequuntur tres conventiones pro Aragonia, Gallaecia et Baleares.

Tertia est «*Conventio*» Diputationis Generalis Aragoniae-Ecclesiae Catholicae in Aragonia super PHA ac Documentali subscripta, 2.X.1984 ab Archiepiscopo Caesaraugustano ac Consiliario Culturae ac Educationis, cui subsequetur «*Protocollum collaborationis*» cum Annexo, 24.XI.1984.

Modo adhuc sollemniori — quarto loco — concluduntur «*Pactum fundamentale*» ac «*Conventio collaborationis ad firmandam conservationem ac fovendum vel promovendum ditamen patrimonii artistici ac documentalis Ecclesiae*», 17.IV.1985 inter Gubernium regionale Galleciae et Episcopos dioeceseon eiusdem regionis.

Quinto loco venit «*Conventio inter Gubernium Communitatis Autonomae Balearium et Episcopos dioeceseon Majoricae, Minoricae ac Ebusi super Patrimonio Culturali Ecclesiae Catholicae*» adimpleta cum «*Regulatione*» Commissionis Mixtae Gubernii Balearium-Dioeceseon Ecclesiae Catholicae Insularum Balearium super Patrimonio Culturali Ecclesiae Catholicae, 26.IV.1985.

Dehinc veniunt reliquae duodecim conventiones sequentes vestigia praecedentium, aequo vel minori pede.

Sexta est «*Pactum super Constitutione, compositione ac functionibus Commissionis Mixtae Communitatis Autonomae «Murcia»-Dioeceseos Cartaginensis pro Patrimonio Culturali*» 25 IX 1985.

Septima est «*Pactum super constitutione, compositione ac functionibus Commissionis Mixtae Gubernii Baeticae-Episcoporum Ecclesiae Catholicae in Baetica pro Patrimonio Culturali*», 19.XII.1985.

Octava est «*Conventio inter Diputationem regionalem Cantabriae et Ecclesiam Catholicam Santanderiensem super PHA ac Documentali Ecclesiae Catholicae Santanderensis*», 27.I.1986.

Novena est «*Pactum inter Sectionem Culturae et Turismi Gubernii Communitatis Autonomae Vasconiae et Ecclesiam Catholicam in hac Communitate Autonoma pro consti-*

tuenda Commissione Mixta competente super Patrimonio Culturali Ecclesiae», 7.II.1986.

Decima est «*Pactum super constitutione, compositione et functionibus Commissionis Mixtae Gubernii Communitatis Autonomae «Rioja-Dioeceseos Calburritanae, Calceatensis ac Lucronensis pro Patrimonio Culturali*», 28.IV.1986.

Undecima est «*Pactum inter Communitatem Castellae-«La Mancha» et Ecclesiam Catholicam regionis*», 9.V.1986.

Duodecima est «*Pactum super constituenda Comissione Gubernii Navarrensis et Ecclesiae pro tutela Patrimonii Historici*», 2.XII.1986 cum subsequenti «*Regulatione Commissionis Gubernii Navarrensis et Ecclesiae Catholicae in Navarra pro Patrimonio Historico*», 28.II.1987.

Decimatertia est «*Pactum inter Principatum Asturicensem et Dioecesem Ovetensem super quaestionibus culturalibus*», 18.II.1987.

Decimacuarta est «*Conventio inter Communitatem Matritensem et Archiepiscopatum Matritensem-Complutensem*»; 27.V.1987.

Quintadecima est «*Conventio inter Gubernium Canariense et Ecclesiam Catholicam in hac Communitate super Patrimonio Historico Ecclesiae Catholicae in Insulis Canariensibus*», 29.V.1987.

Decimasexta est «*Conventio inter Gubernium «Extremadura» et dioeceses «Extremadura» super PHA Ecclesiae Catholicae*», 11.V.1989.

Decimaseptima est «*Conventio-Basis collaborationis super Patrimonio Historico inter Gubernium Valentinum et Ecclesiam Catholicam*» 28.VII.1989.

In praedictis conventionibus comprehenditur regulatio PHA pro territorio hispano diviso in XVII Communitatibus Autonomicis. Estne sufficiens? Considerabimus quaestionem in paragrapho ultima super valuatione regulationis conventionalis episcopalis.

III. SPECIES ET VALOR HARUM CONVENTIONUM.

Ex simplici expositione earumdem eruitur divisio in diversas species secundum promulgationem eiusque formas atque obiectum.

Ratione *publicationis* distinguuntur conventiones promulgatae (quae sunt omnes XVII conclusae cum Communitatibus Autonomis) et non promulgatae ab utraque parte (quae sunt supradictae duae conventiones ambitus statalis 1980 et 1982).

Non promulgatae in Ephemeride Officiali Status, quem valorem habent? Certum est has conventiones non explere plenos effectus, nam promulgatio est requisitum ut possint efformare partem ordinamenti interni hispani (cfr. «*Constitutionem*», art. 96). Tamen publicatio condicionat non validitatem conventionum — in hoc casu — sed earumdem applicabilitatem ac efficaciam⁴.

Solumne hoc? Nobis videtur adhuc posse ulterius progredi. Supradictae conventiones, eo quod distributae sunt organis inferioribus ex parte tum Administrationis statalis tum Conferentiae Episcopalis (immo ab hac sunt promulgatae in sua Ephemeride Officiali), servant saltem in se ipsis efficaciam inter organa repraesentativa quae possunt in executionem deducere easdem, quocumque tempore, ratione commissi assumpti. Ita esse eruitur ex forma qua praescriptum in supradictis conventionibus deducitur in executionem ac applicationem in unaquaque XVII conventionum ecclesiasticarum regionalium.

Quae vero postquam promulgatae sunt in respectivis ephemeridibus officialibus — laudabiliter notan-

⁴ GARRIDO FALLA, F., «*Estudios sobre el proyecto de Constitución*», CEC, 1978; IDEM., «*Comentarios a la Constitución Española*», Madrid 1985, 2ª ed., p. 1352.

dum est quod in publicatione officiali Conferentiae Episcopalis omnes supradictae conventiones publicatae sunt cum indicatione Ephemeridis officialis uniuscuiusque communitatis Autonomae ubi praevisae promulgatae sunt —, efformant partem ordinamenti eiusdem atque constituunt dispositiones vinculantes quae non poterunt derogari, modificari vel suspendi normis exclusive unilateralibus ex parte auctoritatum sive regionalium sive episcopaliū.

Ratione *formae executionis* adsunt tres species conventionum⁵.

1º Conventiones executionis immediatae quae habent ut fundamentum art. XV Conventionis Hispaniae-S. Sedis (3.I.79) de Educatione et rebus Culturalibus. Quae sunt XV (i.e. omnes praeter proprias Gallaeciae et Balearium).

2º Conventiones executionis immediatae quae habent duplex fundamentum, scilicet, praedictum art. XV ac Conventionem basicam (Gallaecia), quin citent easdem.

3º Conventiones executionis mediatæ (Baleares, Navarra) quae fundantur in supradicto art. XV sed complentur regulatione executionis.

Omnes Communitates Autonomae exsequuntur competencias sibi assignatas iuxta Constitutionem hispanam. De facto, applicant principia et normas conventionum ecclesiastico-statalium 1980 ac 1982, quin citent easdem.

Ratione *terminologiae* denominantur, conventiones sex, e quibus una dicitur basica (Valentina);

⁵ BAENA, M., «Los Acuerdos entre las Comunidades Autónomas y las diócesis o Provincias Eclesiásticas españolas», in CORRAL, C. y LISTL, J., 9 (ed.), «Constitución y Acuerdos Iglesia-Estado», Madrid, Universidad Pontificia Comillas, 27-46.

reliquae nominantur pacta (consensio) e quibus ulterius unum dicitur basicum (Gallaecia). Solum adest una conventio carens hoc nomine et denominatur «Regulatio» (Ordinatio: Catalaunia).

Differentia autem est nulla cum tum pacta tum conventiones tum regulatio nihil aliud sunt quam normae mutuo consensu concordatae ad exsequendam conventionem internationalem cum S. Sede de Educatione et rebus Culturalibus (31.I.79, art. XV) ut fructum pacti de contrahendo.

IV. MATERIA CONVENTIONUM

Ut apparet ex ipsis titulis, conventionum materia est nimis reducta, tamen momentosa: agitur de structura Commissionis Mixtae et de criteriis generalibus actionis.

4.1. *Commissio Mixta*

Ratione Pacti cum S. Sede (3.I.79) de Educatione et rebus Culturalibus creata est et existit Commissio Mixta Ecclesia-Status pro PHA in ambitu statali. Nunc constituuntur tot Commissiones Mixtae ambitus regionalis quot sunt Communitates Autonomae (i.e. XVII) ratione competentiarum acquisitarum. Ideo earumdem constitutio, compositio ac functio est materia quasi exclusiva supradictarum conventionum. Commissio Mixta componitur indole paritatis — normaliter — duodecim membris: qui sunt, ex parte regionali, Consiliarius Culturae ac Director PHA (qui funguntur munere Copraesidis respective Vicepraesidis) et quattuor vocem habentes; ex parte episcopali, Episcopus Delegatus ac Subdelagatus ab episcopis (qui funguntur munere Copraesidis respective Vice-

presidis) et quattuor vocem hobentes. Secretarii erunt duo nominati ab unoquoque Copraeside.

Competentiae commissionis Mixtae sunt praesertim a) praeparare programmata interventionum respectu bonorum ecclesiasticorum in quattuor areis culturalibus: Archivis ac Bibliothecis, Bonis mobilibus ac Museis, Bonis Immobilibus ac Archeologicis, et Diffusioni culturali; b) indicare conditiones usus immobilium ecclesiasticorum ad activitates culturales exercendas; c) proponere condiciones usus ac usufructus Monumentorum, Archivorum, etc.; d) emitte dictamina super petitionibus subventionum et iuvaminis technici directis ad Consilium Regionale Culturae; e) emitte dictamina super concessione harum petitionum; f) indicare prioritates tum subventionum ac iuvaminum technicorum tum programatum culturalium; g) determinare modulos inventarii ac catalogorum faciendorum; h) se informatam habere de quacumque actione afficienti PHA Ecclesiae. In aliquibus conventionibus additur emitte dictamen de convenientia vel minus translationis vel modificationis substantialis bonorum ecclesiasticorum (Gallaecia) vel determinare regimen visitationum ac studii PHA ecclesiastici.

Functio Commissionis Mixtae, quae aget in Pleno, in Permanenti, et in Coetibus laboris (qui ordinarie correspondebunt supradictis quattuor areis). Simul autem in aliquibus regionibus (v.c. Baetica et Matriti) constituentur in unaquaque dioecesi Commissiones technicae mixtae, quae componuntur tribus respective quattuor vocem habentibus ex unaquaque parte).

4.2. *Criteria generalia activitatis in PHA Ecclesiae*

In omnibus conventionibus regionalibus intenditur reaffirmare criteria generalia stabilita in Conventione ecclesiastico-statali 1980, quamvis diversa intensitate et exitu. Quae sunt totidem responsa generalia triplici quaestioni in campo culturali: de titularitate, prioritare functionum et fundamentis cooperationis, praesupposita expresse agnitione tum valoris exceptionalis PHA ecclesiasti tum reciproci interesse Ecclesiae et Status in eodem servando, fovendo et diffundendo. Quae agnitio iam exprimitur in supradicto art. XV Conventionis cum S. Sede (3.I.79).

Criterium primum: prioritas usus culturalis bonorum ecclesiasticorum culturalium. Secundum: coordinatio, prior proinde, eiusdem usus cum studio scientifico ac artistico simulque conservatione. Tertium: regulatio visitationum, cognitionis et contemplationis supradictorum bonorum praesupposita dicta prioritare. Quartum: normae civiles de protegendo PHA applicabuntur bonis ecclesiasticis. Quintum: Bona culturalia ecclesiastica exhibebuntur in suo loco originali quatenus fieri possit.

Titularitas bonorum pro Ecclesia nunquam uniformiter reaffirmata est in conventionibus: quandoque restricta, sola possessio (Baetica, «Asturias»); praecisiva (i.e. absque indicatione tituli concreti: Aragonia, Baleares, Cantabria, Castella-La Mancha, Castella-Legio, Catalaunia, Extremadura, Gallaecia, Madrid, Valencia) quandoque maxima, complectens etiam proprietatem (Canariae, La Mancha, Navarra, Vasconia) secundum diversitatem tum guberniorum cum temporum.

Prioritas functionis culturalis recolitur diversimode in conventionibus: expresse in Balearibus, Canta-

bria, Castella-Legione, Gallaecia, Madrid et Murcia (cum remissione ad ius canonicum); cum clausula exceptiva «absque discrimine» eiusdem finalitatis religiosae (in reliquis Communitatibus).

Transacto primo sexennio gubernii socialistae (1982-1988) videntur tres quaestiones progressiva via solvi: ex animo hostili, Administrationes statales progressae sunt ad mutuam collaborationem.

4.3. *Collaborationis reciproca iura et officia*

Imprimis recesenda sunt iura/officia enuntiada modo generali (supra in n. 3.1. et 3.2.) respectu titularitatis, prioritatis et criteriorum actuationis. At proh dolor! non sunt aliud quam magnae declarationes principiorum.

Iura officia concreta afficiunt praesertim Commissionem Mixtam: eiusdem compositionem, competentias atque functionem.

Praeter iura/officia adeo sive generalia sive exclusiva Commissionis Mixtae, non enuntiantur alia iura/officia quae, qua talia, possint exigi ab Ecclesia vel a Statu. Imprimis non adsunt iura, respective officia, ad subsidia oeconomica vel ad iuvamina technica. Haec semper pendent a voluntate benefica Publicarum Administrationum.

Immo processus ad activitatem et regimen actuum Commissionis Mixtae subiciuntur Legi de Processu Administrativo, 17.VII.1958 (ita Madrid, Rioja, Baetica) respective Iuri Canonico (ita Navarra, Castella-La Mancha).

Radicitus reciproca iura/officia consistunt in eo quod Administrationes statales possunt agere in ditissimo PHA Ecclesiae absque impedimento vel animadversione atque Personae iuridicae ac Auctoritates

ecclesiasticae, partim ne impediantur in eiusdem usu cultuali et titularitate, partim, evadant, habiles ad recipienda tum subsidia tum auxilia technica absque praeiudicio pro PHA servando ac fovendo.

V. NATURA CONVENTIONUM ECCLESiarUM PARTICULARIUM-COMMUNITATUM AUTONOMARUM.

Quamvis ratione materiae contineant praesertim normas actuationis Commissionum Mixtarum, et proinde sint materialiter ordinationes, tamen sunt normae bilaterales concordatae ab auctoritatibus respectivis Ecclesiae et Status. Ideo formaliter sunt pacta vel conventiones.

Tamen sunt conventiones quae suam virtutem derivant a praevia et superiore conventionem ordinis internationalis qualis est Conventio cum Sancta Sede 3.I.79 de Educatione et rebus Culturalibus (art. XV et Praeambulo). Adeo ut omnes conventiones — praeter Regulationem conventam cum Catalaunia — reafirment in suis Praeambulis accipere fundamentum a praedicto art. XV, quin acquirant categoriam ordinis internationalis.

Sunt proinde conventiones secundi ordinis, iuris interni publici tum statalis tum canonici. Sunt actus negotiales iuris publici qui includuntur in ambitu generaliori Administrationis conventae quae agit mediantibus supradictis actibus negotialibus. Quia sunt conventiones cum Communitatibus Autonomicis, ideo expresse dicuntur in eisdem Praeambulis concordari intra ambitum non solum Constitutionis hispanae sed etiam Statuti Autonomiae uniuscuiusque regionis.

Simul autem, ex parte actuationis ecclesialis, subiciuntur iuri canonico.

Exinde ut explicant effectus pro utraque parte

requiritur expresse promulgatio in utriusque partis Ephemeride officiali (v.c. Aragonia a.7^o; Baleares a.12^o; Canaria, a.11^o; Cantabria a.8^o; Castilla-La Mancha, Gallaecia, a.7^o; a.5^o; Rioja a.9^o); quandoque, saltem in Ephemeride officiali Communitatis Autonomae (Baetica, Canariae, Extremadura, Madrid, Murcia, Vasconia, Valencia). Normaliter praescribitur pacta incipere vigere a die sequenti eiusdem publicationis (l.c.) et servare vigentiam dum partes vel una ex partibus non denuntient (Canariae) vel non proponant revisionem (v.c. Baetica, Cantabria, Castilla-La Mancha, Rioja) saltem mense uno ante finem exercitii oeconomici (Madrid).

Actus Commissionis Mixtae considerabuntur firmi nisi fuerint denuntiati intra terminos 30 dierum (Asturias, a.3^a,5; Aragonia a. 6^o; Castilla-Legio a.8^o).

VI. AESTIMATIO CONCLUSIVA

Complexus conventionum regionalium Ecclesiae-Communitatis Autonomae non adeptus est amplitudinem et perfectionem qua conventiones acquisiverunt in area Assistentiae religiosae in Hospitalibus Publicis hispanis⁶. Ratio stat in eo quod in area culturali non affuit Conventiuo fundamentalis ambitus statalis cum enuntiatione principiorum ac simul normarum generalium cum correspondentibus iuribus et officiis concretis pro utraque parte, ex qua deriventur reliquae conventiones vel pacta gradus regionalis respectivi provincialis vel localis.

⁶ CORRAL, C., «La Iglesia Católica y los centros hospitalarios», ibidem, 245-268; Gz. y Mz. DE CARVAJAL, «Asistencia religiosa en los centros hospitalarios», in «Acuerdos Iglesia-Estado Español en el último decenio», Barcelona, Bosch 1987, p. 45-76.

Immo supradictae conventiones non comprehenderunt areas fundamentales culturales, sed solummodo constitutionem et activitatem Commissionis Mixtae. Remisserunt ad futuras conventiones regulationes respicientes has areas.

Tamen consequutae sunt tutelam titularitatis bonorum ecclesiasticorum, activitatem Administrationis Publicae cum observantia iurium et competentiarum ecclesialium, immo, progrediente tempore, straverunt viam ad vitandum animum inimicum et concitandam collaborationem fructiferam.

Ipsa conclusio conventionum nobis videtur esse momentosa quatenus manifestat ex parte Ecclesiae verum et maximum interesse supra proprium PHA atque positivam voluntatem cooperandi cum Statu in omnibus gradibus, agnoscendo valorem extraordinarium monumentorum culturalium. Ulterius, quia ordinatio bilateralis significat modo forti simulque eleganti quod in rebus mixtis cooperatio perducitur ad effectum non solum materialiter verum etiam formaliter mediante instrumento pactitio.

CARLOS CORRAL, S.J.

BIBLIOGRAFIA

1. Fontes (recopilaciones): CORRAL, C. - ECHEVERRÍA: *Los Acuerdos entre la Iglesia y España*, Madrid 1980, cap. XX y XXIX. *Patrimonio cultural* (Revista de la Comisión Episcopal Española), (Documentación-Información), ab anno 1983, núm. 1. R. PLATERO, y J. A. PÉREZ DEL RÍO: *Arte Sacro, Orientaciones y Normas, Colección de textos conciliares y postconciliares sobre Arte Sacro*, Oviedo, 1986. J. PLAZAOLA: *El arte sacro actual*, Madrid, 1965; Apéndice cum 70 documentis maioribus.

2. Litteratura: I. ALDANONDO: «La Iglesia y los bienes culturales», in «*Revista Española de Derecho Canonico*» 39 (1983), 51 ss. ID. «Las Comunidades Autónomas, el Estado y los bienes culturales eclesiásticos», in «*Ius Canonicum*» (1984), n. 47, pp. 295 ss. ID. «Protección de los bienes culturales y libertad religiosa», in «*Patrimonio cultural* (1986-1987), 76-90. J.L. ALVAREZ: «El Patrimonio Histórico-Artístico de la Iglesia en el ordenamiento europeo», in «*La Iglesia española y la integración de España en la Comunidad Europea*» (ed. C. CORRAL, y J.M. URTEAGA), Madrid, 1986, pp. 87-108. J.L. ALVAREZ, *Estudios sobre el Patrimonio Histórico Español*, Madrid, Civitas 1989. A. ALVAREZ CORTINA: «Bases para una cooperación eficaz Iglesia-Estado en defensa del patrimonio histórico, artístico y cultural», in «*Ius Canonicum*» (1985), n. 49, pp. 293 ss. C. CORRAL: «Incidencia de la legislación internacional en la Ley del Patrimonio Histórico Español (13/1985, de 25 de junio)», in «*Revista General de Legislación y Jurisprudencia*» (1985) 771-810. ID. «Patrimonio Cultural de la Iglesia», in «*Patrimonio cultural*» (1986-1987) 60-75. C. CORRAL, y A. DE LA HERA: «Bienes culturales e intereses religiosos en la experiencia Europea: España», in «*Beni culturali e interessi religiosi*», Napoles, 1983, pp. 249 ss. P. D'AVACK: «Patrimonio, VII, culturale Ecclesiastico», in «*Enciclopedia del Diritto*», vol. 32, Milano, 1958, pp. 420-425. DICKE: «La protection juridique internationale des biens culturels», in *Actes du Trezième colloque de droit européen*, Delphes 20-22 septembre 1983, Strasbourg, 1984, pp. 19-47. Mons. D. IGUACEN: «Directorio del Patrimonio Cultural de la Iglesia» in «*Boletín Oficial del Obispado de Tenerife*» (1987), n. 1 monografico. — «El Patrimonio Histórico-Artístico de la Iglesia: su garantía en el ordenamiento español», in «*La Iglesia Española*», cit. pp. 75-86. F. PETRONCELLI HUBLER: «Notazioni problematiche in tema di tutela e valorizzazione dei beni culturali connessi all'esercizio del culto» in «*Studi di diritto ecclesiastico e canonico*», n. 2, Napoli, 1981, pp. 297 ss. S. PETSCHEN: «La Iglesia y su patrimonio cultural, directrices que orientan su actuación», in «*Patrimonio Cultural*» (1986-1987), 48-59. A. SANCHO, «El Patrimonio Histórico de la Iglesia» in *Razón y fe* (mayo 1984).